

crati fuerint sub sacramento, Statutum est quod claviger accipiat de unoquoque porco obolum et de porco ultro 20 den. lumbos habeat claviger; de vacca habeat duos denarios: de bacone tantumdem; et non alibi vendentur carnes nisi in consuetis locis, vel pisces. Diebus etiam Dominicis 3 feria et 5 manu levabit carnes claviger, tiliam porci vel apri pro 4 den.; fructum vaccæ pro tribus denariis; quarterium arietis pro uno. Quicumque vendiderit carnes, eandem servabit consuetudinem.

Item si extraneus portaverit sturionem, denarium habeat claviger; et si ibidem fractus fuerit sturio, nerbilium et budellum habeat claviger, nec minus habeat denarium.

Item si duo vel tres socii fuerint in porco vel vacca, vel ariete de unoquoque manulevabit, prout dictum est superius, etiamsi unus vendiderit pro omnibus. Similiter si extraneus saumonem portaverit, obolum dabit. Si extraneus portaverit duodenam lampredarum denarium dabit; si sex, obolum. Si duodecim colagos portaverit per aquam, unum dabit; si sex, obolum; si cum asino portaverit, tres denarios; si cum equo vel equa, mulo vel mula 4 den. dabit; si cum collo duodena colagorum vel lampredarum, denarium dabit. De sturione et salomone primo captis in Beta, medietatem piscatores dabunt: et tunc accipient illi duo piscatores duos panes servientales et duas mensuras vini: et deinceps de omnibus piscibus ibidem captis decimam sub sacramento.

Si balæna feratur per mare frustrum habeat claviger; si per terras feratur vel alii quilibet pisces, fiat sicut superius scriptum est de colagis vel lampredis.

Item de his quæ venduntur in foro; de porco qui venditur ultra 20 denarios accipiet claviger unum denarium; et si minus, obolum: de capra similiter; de vacca similiter; de bove denarium. De ovis sicut de porco; de asino sicut de bove; de equo et mulo quatuor denarios; de cisis et saleris, de carra bestie quatuor cisis et totidem salerios; de collo onusto duos. Die Sabbati nemo vendat intra vel extra aliquid, quin reddat clavigero consuetos redditus.

Statutum est etiam quod si quis porcum extra villam emerit et infra octo dies vendiderit, denarium dabit: de nomeriis et cultris et fossariis, sarculis, falcibus, toseriis, vasoriis et cæteris feramentis quæ venduntur in foro, semel in anno ab unoquoque venditore unum accipit claviger. De retumbis et cisis vitreis, de capis et aliis unoquoque Sabbato et Dominica, exceptis illis de Papeyran unam cordam et de scalaris unam garbam. Habitantes in terra de Papeyran liberi sunt in omnibus quæ nascuntur in eadem terra: si extra terram illam aliquid adquisierint, non sunt liberi.

Item accipit claviger de vendentibus sal die Sabbati in foro de unoquoque unam palmatam, et in

A Dominica similiter. Et ut breviter concludam: quocumque modo vel quacumque die extranei aliquid portaverint, vel cum aliqua re transitum fecerint, jus suum recipiet claviger: sic sal, equi, porci, oves, boves, bladum et cætera: et in foro manulevabit claviger quidquid voluerit per octo dies.

Item habeat claviger de his omnibus qui vendunt saginum omni quintodecimo die Sabbati unam obolatam. In festo beati Petri accipit claviger unam corrigiam de unoquoque mercenario.

Item Passapont recepit nomine nostro de ligassalini unum paladuir in foro, et plenam manum lanæ, juxta quod ibi fuerit; de mercenariis quintodecimo die obolum: de his qui deferunt vasa vitrea, unam lampadem; de fasciculis cisorum, unum. Pro his tenetur Passapont et ejus successores in dormitorio facere luminare, et in camera prioris, dum ipse præsens fuerit. De natis unam habeat claviger semel in anno; et sic de cæteris quæ venduntur.

Statutum est quod ille quem prior in jus vocaverit, statim coram eo cum fidejussoribus se præsentet, nisi jam manum ad comedendum lavaverit, vel ad lavandum caput jam se paraverit. Si vero post vespas eum vocaverit in crastinum coram eo cum fidejussoribus appareat. Ille vero qui die assignata usque ad horam sextam coram priore non comparuerit, tanquam convictus judicabitur. Quod si præsens prior non fuerit, clavigero se præsentet.

Item de unaquaque saumata lignorum dabitur demui nostræ unum lignum per omnes portas de his qui sunt extranei.

Statutum est etiam quod priori tempore vindemiarum per omnes portas villæ diriget nuntios suos ad quorum conspectum decimæ vini et quarta fideliter reddantur, prout in scriptis eorum continebitur. Et debent deferre illi quorum sunt vineæ ad torcular prioris sine ipsius adjutorio. Item de omnibus obliariis qui fabbas excolunt, dabitur conventui coquus vel alter serviens onustus de fabbis. Tempore vero suo de agresta per vineas arripient servientes coquinæ: similiter de oleribus a Natali usque ad Quadragesimam et in Quadragesima de porris similiter.

Statutum est præterea quod omnes bailivi ad hoc sunt constituti, ut census balliarum nobis absque difficultate reddi faciant: videlicet frumenti, avenæ et denariorum. Quod si in festo S. Martini ad præfatos census subditos suos non compulerint, bailivi debent pignorare; sed ad priorem pertinet justitia.

Præterea statutum est quod claviger per totam villam accipiat asinos ad deferendum bladum suum.

Item cum comes procuracionem suam accipiet claviger per totam villam manulevabit porcos et capiet gallinas per domos.

Sciendum præterea quod per omnes bailias nostras accipimus ab unoquoque villano unam gallinam,

duos fascēs paleæ, et unum panem et traceam boum A in vigilia Natalis Domini.

Item omnes bailivi nostri et foris debent procurationem priori semel in anno præter homines de Pins.

Item omnes villani de bailliis nostris debent procurationem priori semel in anno.

Boneta de Bordes et successores sui debent priori procurationem apud Burdegalam cum his omnibus quos secum habebit; et equos similiter procurabit, et hoc semel in anno.

Milites de Bordes solvunt procurationem plenam priori et sociis suis, et omnibus quos secum adducet; et supervenientes similiter procurabunt: et debent commodare priori unum equum, cum sturiones ad sanctum Benedictum miserit. Quod si in via equus decesserit, prior equi pretium eis restituet.

De jure prioris est et Ecclesiæ de Regula, ut lites, discordias, causas et judicia per iudices quos voluerit, et undecunque voluerit intus vel extra terminet: si qui vero adventitius vel naturalis sine hærede legitimo decesserit, res ejus, si solutus fuerit ad priorem pertinent; si conjugatus, medietas.

Homines de Lavizon Willelmus Textor, Petrus Ogau, Willermus Garsias et Vitalis Juliani debent portare priorem per mare cum sociis suis ubicunque voluerit, et reducere similiter, et debent deferre similiter bladum per mare quacunque parte domus nostra habuerit, et nocte qua redierint, habebunt de cellario portatores isti panem et vinum.

Præpositus de Lobanaeg debet procurare priorem et socius suos semel in anno: et omnes illi qui sunt de præpositura illa: aliam tantum debent procurationem priori et sociis suis semel in anno, præpositus sanctæ Aurelianæ cum participibus suis, debent procurationem priori semel in anno, et in mutatione cujusque prioris 14 solidos Burdegalenses nomine sportulæ, et Aiquilinus de Fonte sex denarios sportulæ.

Amaneus de Lobengs et sui debent facere hominum priori pro mota sua et pro feodo Regulæ et pro justitia fori et pro his quæ tenet ab eo intra et extra: et præterea pro his omnibus faciunt solemnem in die Paschæ toti conventui de Regula.

Item Arnaldus Bernardi de Taurignac facit hominum priori pro devalata pedagii Mariæ de Gerunda et præterea pro communitate casati cum participibus suis annuatim in vincula B. Petri 5 solidos Burdegalenses.

Item Helias de Barela debet solvere conventui de Regula annuatim 24 panes et 12 lampredas et unam saumatam vini in ramis Palmarum.

Item dominus de Culed Maviron debet facere hominum priori pro feodo quem tenet in villa de Regula. Dominus de Landerro et sanctæ Basilicæ debet facere hominum priori pro his quæ tenet in

foro Regulæ, et in Salargiis, et pro feodis domorum quæ sunt in eadem villa et pro his omnibus quæ tenet a rivo qui dicitur Merdanus usque ad Regulam.

Item Donatus Garsia vel Berned et ejus successores debent assistere priori in judiciis pro feodo quem tenet infra Regulam.

Item homines de Taurignac et homines de sancto Michaeli, et de Guarzac. si forte prior propriam guerram habuerit, debent venire in ejus auxilium pro feodis quæ tenent intra villam.

Item si prior proprium bellum habuerit pro exheredatione terræ, medietatem expensarum facient burgenses, aliam medietatem prior. Pro tali bello tenentur se præsentare dominus Gerundæ et dominus de Taurignac et dominus del Berned.

Item si aliquis miles feodetarius prioris contra priorem, quod absit, in aliquo deliquerit, per nuntium suum ipsum in jus vocabit, et in manu prioris de querelis, quod justum fuerit, exsequetur. Quod si in ejus manum jus parere noluerit, feodum prior occupabit.

Statutum est præterea quod si Judæus transitum fecerit per villam, 4 denarios solvat clavigero. De equo Hispaniæ, 4 denarios; de tracta (foret ut postea carga) coriorum boum, ovium vel caprarum, 4 denarios. De uno corio unum denarium: de carga stagni vel metalli, 4 denarios. Quicunque vendiderit equum in foro qualuor denarios: extraneus ubique. Constitutum est præterea et jurejurando firmatum quod neque prior, neque claviger aliquem vel aliquam supercurrat, dum ille vel illa fidejussorem priori gratum dare poterit.

Item nemo cultellum, ensem, lanceam, spiculum, securim, besogium, neque gladium in contentione trahat: quod si traxerit et non percusserit et traxisse convictus fuerit, sex solidos priori sine intermissione dabit. Si vero percusserit et sanguinem effuderit, 66 solidos similiter dabit priori, et damnum percusso ex integro restituet. Aut si hoc totum facere non poterit, uno membro curtabitur. Si percussus mortuus fuerit, ille qui percussit exheredabitur, et hæreditas tota et possessio pertinebit ad priorem.

Item nemo extra villam vel infra aliquem capere præsumat sine assensu domini prioris vel Clavigeri, sed si casu contigerit, quod ante præsentiam prioris vel clavigeri cum capto se præsentet, si tamen tempus fuerit opportunum. Quod si id facere neglexerit, 6 solidos dabit priori. Item si contigerit quod aliquis aliquem ante præsentiam Domini percusserit, absque dubio damnum restituet et priori satisfaciet.

Item de mensuris cujusunque modi sint, ut de conchis, de virgis, de cubitis, de canis quibus panni venduntur, et de libris et de rasoriis quibus sal et segetes raduntur, firmiter fuit constitutum omnia esse æqualia et justa. Quod si penes aliquem aliquid istorum falsum inventum fuerit, 6 solidos

priori solvet. Quod si aliquis reclamaverit et probaverit se in hujusmodi mensuris fuisse deceptum, deceptor damnum restituet et priori sex solidos solvet.

Similiter de hortis in villa constitutis et circumjacentibus, et de vineis statutum est et jurejurando firmatum quod nemo audeat in hortum vel vineam alterius intrare, nec aliquid rapere, neque olera, neque portum, neque fructus si fuerint sibi.

Similiter de vineis neque agrestam, neque racemos, neque paxellos, neque aliquid earum. Quod si aliquis fecerit et de facto comprobatus fuerit, damnum restituet, et priori sex solidos solvet, et si dare non possit, auriculam perdet.

Item statutum est ne aliquis sine assensu prioris in expeditione eat, nec prece, nec pretio aliquorum ductus castellum ingrediatur ad defendendum, vel foras ad expugnandum. Quod si fecerit et vulnus intulerit, 66 solidos priori dabit, et percusso damnum restituet. Si occiderit hominem, omnia confiscantur priori. Si quis autem superbiam facibus accensus negligenter de villa exierit profugus ea occasione, quod dicit burgenses vel ipsum priorem

A sibi injurias irrogare, et nolit juxta statuta villæ judicio injurias persequi, post primam et secundam admonitionem prioris per se vel per suos factam, ille talis omnibus diebus vitæ suæ ex tunc exsul et profugus non reversurus abeat, et omnis ejus hæreditas priori incurratur.

Demum statutum est quod quicumque intus vel extra aliquem vel aliquam interfecerit, sine misericordia incurratur Domino.

De minimis autem querelis, ut est de percussione sive sanguinis effusione facta et de illatis contumeliis, de capillis ruptis et de aliis hujusmodi, ut consuetum est et statutum teneatur.

Item si quis virginem corruperit vi: si mulier fuerit vilior eo, dabit ei maritum consilio amicorum suorum, vel accipiet eam in uxorem. Quod si mulier fuerit nobilior, ad arbitrium prioris et amicorum mulieris, mulieri satisfaciet et 66 solidos priori solvet.

Item si aliquis quamlibet aliam stupratus fuerit, 6 solidos dabit priori et mulieri satisfaciet. Si quis conjugatam rapuerit et cum ea fugerit, ut de homicidio stabilimentum villæ servetur.

ANNO DOMINI DCCCCLXXIX.

ADALBERTUS

METENSIS SCHOLASTICUS.

NOTITIA HISTORICA IN ADALBERTUM.

(Fabric. *Biblioth. mer. et inf. lat.*)

Adalbertus, levita, sive monachus et sacerdos, scripsit *Flores ex Moralibus B. Gregorii papæ in Job*, eosque dedicavit Herimanno presbytero. Prologum ad Herimannum edidit Edmundus Martene tom. I *Anecd.*, quem testatur depromptum ex codice annorum circiter 600.

INCIPIIT PROLOGUS ADALBERTI LEVITÆ

AD HERIMANNUM PRESBYTERUM

In quo promittit subnectendum ei opusculum excerptum « quasi lilia candentia a Moralibus quæ quæ B. Gregorius Spiritu sancto afflatus luculentissimo sermone disseruit (1). »

(Apud Marten., *Anecd.* tom. I, pag. 84.)

Dilectissimo in Christo ac venerabili Patri HIRIMANO presbytero ADALBERTUS humillimus levitarum sempiternam in Domino felicitatem.

(1) Exstat hoc opusculum in ms. codice monasterii sancti Illidii Claromontani, cujus character

Mecum sæpius retracto, reverende Pater, creberrima circa me benignitatis charitatisque vestræ impensa beneficia, nec non etiam suavia atque satis

annos circiter 600 ætat. Idem se reperisse in ms. Præmonstratensi testatur Mabillonius tomo I